

SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE
BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
STEPHEN SALISBURY,
OF WORCESTER, MASS.
(Class of 1817).
Recd. 14 Oct. 1871.

211 mgl

QUAESTIONES XENOPHONTEAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

SCRIPSIT

Carolus Brabaender

M. Jan. A. 1870.

LUEDENSCHEID,

TYPIS W. CRONE JR.

MDCCCLXX.

1871, Oct. 14.

[illegible] Fund.

Brevitas temporis, quod mortalibus ad vitam concessum est, eundem hominem multa saecula vivere non patitur; sed quod natura nobis negavit, praebet historia, ut, qui diligenter ei studuerunt, omnibus aetatibus vixisse, omnes terras peragrasse, omnibus rerum publicarum consiliis interfuisse, quaecunque acciderunt, praesentes spectavisse videantur. — Itaque benignus Deus cum, quae majores petièrunt, effecerunt, assecuti sunt, ea hereditatis instar posteris permiserit, non singulos tantum homines, sed universas aetates ad summam aemulationem et industriam excitat. Quare si ignava admiratione non contenti animum advertimus ad summam ac singularem illam humanitatem, ex amore artium ac literarum enatam, ad quam veteres Graeci liberalite imprimis excellentes vel ingenua natura duce vel fortuna favente pervenerunt: nonne singulari quadam voluptate semper perfundimur, si mente persequimur, quibus gradibus populus ille, a parvis profectus initiis, tantam gloriam adeptus sit, ut in omni vitae cultu expolitus et in quoque genere perfectus paene crederetur? Ut autem apud omnes populos, priusquam vires ingenio animoque insitas excitaverunt, lingua non exculta naturam tantum sequitur, ita etiam Graecorum prima in literis experimenta non destituta quidem sunt vi atque impetu

ingenii, sed magis nativum mentium vigorem, quam artem et temperantiam exhibent. Quare tunc demum, postquam Orpheus, Musaeus, Linus, Homerus fundamentum quasi jecerunt, Jonesque poësim ad artis normam conformare coeperunt, Attici, quibus natura summam dederat elegantiam ac venustatem, certatim politiorem formam ei comparare et majorem varietatem et gratiam conciliare studuerunt.

Ita tum artes ex Asiae oris et insulis vicinis inductae Athenas, quo omnes Graecorum vitae quasi radii confluebant, splendidiorem sedem nactae sunt, ut inde et aequales et posteri ad melius de artibus judicium perducerentur. Et cum lyrici exstitissent poëtae, qui vel gravitate sententiarum atque sermonis animum inflammabant, ut Alcaeus et Pindarus, vel lenitate mentes molliebant, ut Sappho et Anacreon: secuta est eos magna tragicorum et comicorum series, inter quos, quantum Aeschylus sublimitate, Sophocles dulcedine, Euripides facundiis, Aristophanes facetiis salibusque semper promptis eminuerit, nemo est, quin admiretur.

Ita in omni genere poëseos operam collocantes et monumenta exstruentes perenniora lapide et aere, etiam in orationis pedestris studio ab aliis superati non sunt Graeci et imprimis historiae conscribendae arte summam apud posteros laudem sibi comparaverunt. Nam cum Herodotus heroes illos, qui bellis Persicis egregiam fortitudinem praestiterant, justis ac meritis extulisset laudibus, et partem quandam suae historiae praeclarissimae, qua res in toto orbe terrarum memoratu dignas complexus erat, in frequentissimo Atheniensium conventu legisset, Thucydides laude ejus, ut

olim Themistocles tropaeis Miltiadis, inflammatus, operam in rebus domesticis srcibendis collocavit. Itaque postquam ipse bello Peloponnesiaco stipendia meruit et propter rem non prospere gestam exsilio multatus est, itaque in bello gerendo civibus fortitudine et prudentia prodesse non potuit: historia in secessu conscribenda variisque casibus et vicissitudinibus miserandi belli in conspectu quasi ponendis utilitatem iis afferre voluit.

Deinde cum — quod a certis auctoribus affirmatur [1]) et quod propter abruptum Deceleatici belli narrandi finem concludere debemus [2]) — subita morte a studiis suis avocatus esset, [3]) prater alios Xenophon partes ejus suscepit, [4]) et inde ab anno XXI. medio, ubi ille res reliquerat, exorsus [5])

1) cf. Diodorus Siculus XIII, 42 et XIV, 84. Dionysius Hal. in Ep ad Cn. Pompejum p 130.

2) Classen: ed Thuc. p. XXIX.

3) Plutarchus (Cim. c. 4): τελευτῆσαι ἐν τῇ Σκάπτῃ Ὕλῃ λέγεται φονευθεὶς ἐκεῖ.

Pausanias I., 23, 11: Οἰνοβίῳ ἔργον, ἐστὶν ἐς Θουκυδίδην τὸν Ὀλόρου χρηστόν· ψήφισμα γὰρ ἐνίκησεν Οἰνόβιος κατελθεῖν ἐς Ἀθήνας Θουκυδίδην καὶ οἱ δολοφονηθέντι ὡς κατῄει μνῆμά ἐστιν οὐ πόρρω πυλῶν Μελιτίδων.

Marcellinus (vit. Thuc.): ἐγὼ δὲ Ζώπυρον ληρεῖν νομίζω λέγοντα τοῦτον ἐν Θρᾴκῃ τετελευτηκέναι, κἂν ἀληθεύειν νομίζῃ Κράτιππος αὐτόν.

4) Hell II., 3, 9.

5) Concedendum quidem est, inter res, in fine operis Thucydidei narratas, atque eas, quibus exorditur Xenophon, facta nonnulla haud parvi momenti interesse, ita ut sententia a nobis prolata omnino refutanda esse videatur; animadvertendum vero est, initium Hellenicorum lacunosum esse, id quod Buechsenschuetzius, cujus auctoritas hac in re summa, in praefatione ad Hell. p. 2 et 3 uberius exponit.

et reliqua explevit et alia, quae deinceps consecuta sunt, addidit, ita ut ipsius historia complectatur spatium annorum XLVIII. inde ab anno 2. Ol. XCII. usque ad annum 2. Ol. CIV.

Xenophon igitur, etiamsi neque ingenio neque sermone aeque praestans excepit maximum illum rerum Graecarum scriptorem, tamen scripta ejus maximo nobis usui sunt, ut cognoscamus et eventum gravissimi illius belli, et tempora subsequentia; atque, ut jam apud veteres magna ejus admiratio fuit, ita semper haud paucos viros excellentes jucunditate sua tenuit et nunc quoque mirabili modo allicit.

Sed ne latiores simus in quaestionibus a nobis propositis, antea rationem constituamus, quam in dijudicandis illis secuturi sumus. Ex ordine igitur agemus de Xenophontis ingenio, de rebus ab eo narratis earumque fontibus, de consilio et indole, quibus libri scripti esse videantur, de fide et auctoritate eorum, de aliis scriptoribus eanden cum Xenophonte aetatem illustrantibus denique, quid veteres de illo judicaverint.

§. 1.
De ingenio Xenophontis.

Vita Xenophontis in turbida incidit tempora, quibus civium animi varie movebantur et mirifice fluctuabant. Athenienses enim, cum, opibus integris, fiducia in viribus posita, libertatis tuendae ac bonae disciplinae studio, obtemperantia erga deos et civitatis leges, ad summum floris potentiaeque fastigium evecti essent itaque rebus secundis abriperentur, obliti sunt veteris disciplinae, simplicitatis, inaffectatae rationis.

Nam cum Clisthenes, Pisistratidis expulsis, Solonis leges ita mutavisset, ut numerus civium, penes quos suffragium erat, quingentorum fieret et Aristides omnibus civium ordinibus aequam rei publicae moderandae potentiam permisisset, Pericle civitatis gubernacula tractante, omnia per populum agebantur atque in ejus potestate sita erant, et post funestam illius mortem omnis civitas distracta est; mores enim veteres et religio, a Pericle parum observata, ex animis evanuerunt et in locum eorum successerunt luxuria, licentia, mollis vitae studium. Increbrescebant rerum divinarum negligentia et impietas, obtrectatio invidiaque impediverant rerum publicarum curam, nulla vitae publicae securitas, in judiciis vulgus licenter agens accusator et judex. Quid mirum igitur, quod meliores nonnulli, pristinae virtutis memores atque tenaces, perniciem potentiae popularis agnoscentes, ad Socratem se adjunxerunt, revocantem emendatae vitae studium et disciplinam, quodque a Spartanorum civitate initium expurgandi mores et instituta rei publicae expectaverunt? Ita Xenophontem quoque sensisse apparet loco quodam [1]) ubi de Lycurgo ita dicit: ἐκεῖνος ἐν τῇ Σπάρτῃ ἠνάγκασε δημοσίᾳ πάντας, πάσας ἀσκεῖν τὰς ἀρετάς· Ὥσπερ οὖν ἰδιῶται των ἰδιωτῶν διαφέρουσιν οἱ ἀσκοῦντες τῶν ἀμελετούντων: οὕτω καὶ ἡ Σπάρτη εἰκότως πάσων τῶν πόλεων ἀρετῇ διαφέρει, μόνῃ δημοσίᾳ ἐπιτηδεύουσα τὴν καλοκαγαθίαν.

Sic obedientiam, legibus et belli et pacis tempore praestandam, saepissime gravissimeque commendat. [2]) Sed illis

---

1) rep. Lac. 10, 4.
2) Cyrop. VII., 5, 86 et VIII., 6, 10. Mem. III., 5, 16; de rep. Lac. 8, 2.

vitiis civitas Atheniensium, ut supra diximus, tunc maxime laboravit, ita ut ne in gravissimis quidem negotiis cives edictis parerent magistratuum [1])

At principium et fontem omnis virtutis atque honestatis esse pietatem erga deos ex omnibus Xenophontis scriptis patet: nihil suscipit contra deorum voluntatem [2]) et nemo Graecus, ne Herodotus quidem, aequiparavit eum cultu coelestium.[3]) Sed etiam peculiaris quaedam pietatis forma impedivit interdum Xenophontem, quominus oculorum acumine res perspiceret.[4]) — Quocirca cum Thucydides, qua est perspicacitate, rerum causas alias ex aliis aptas et necessitate nexas censeat, Xenophon ubique cernit ipsius dei monitum.[5]) Qua de re insignem locum habemus Mem. IV., 3, 17: „χρὴ οὖν μηδὲν ἐλλείποντα κατὰ δύναμιν τιμᾶν τοὺς θεοὺς θαῤῥεῖν τε καὶ ἐλπίζειν τὰ μέγιστα ἀγαθά· οὐ γὰρ παρ᾽ ἄλλων γ᾽ ἄν τις μείζω ἐλπίζειν σωφρονοίη ἢ παρὰ τῶν τὰ μέγιστα ὠφελεῖν δυναμένων, οὐδ᾽ ἂν ἄλλως μᾶλλον ἢ εἰ τούτοις ἀρέσκοι· ἀρέσκοι δὲ πῶς ἂν μᾶλλον ἢ εἰ ὡς μάλιστα πείθοιτο;“ [6])

Tum Xenophon minus valet in rebus abstrusis dijudicandis, ut vel ipse eas facile perspiciat,[7]) vel causas ab aliis inventas intelligat atque dijudicet, utque ad vitae vulgaris negotia magis, quam ad subtiliores philosophiae quaestiones

---

1) de rep. Lac. 8, 2.
2) Anab. III., 1, 42; III., 1, 5, 6; VII., 6, 44; Hell. V, 4, 1.
3) Anab. V., 3, 6; V., 7, 35.
4) Anab. VI., 1, 24–32.
5) Anab. III., 1, 11; III., 2, 9 sqq.
6) cf. Ulrici: Characteristik der antiken Historiographie p. 49.
7) Hell. I., 6, 15; IV., 4, 18; IV., 5, 17.

factus et propensus videatur.[1] Non tam populi, quam optimatum amicus[2] et jam idcirco Lacedaemoniorum disciplinae deditus, tamen penitus Graecum se esse in Asia dux non semel probavit.[3] Ita quoque Graecum decere Graecorum amorem, odium Persarum in Agesilai encomio (c. 7) profitetur.

Sed Xenophon, rem militarem magno studio amplexus, quamvis bellicosum se praebuerit, tamen natura mansuetior et pacis quam belli fuit amantior, quod libellus de Vectigal prodit, in quo Athenienses gravissime ad servandam et colendam pacem cohortatur. Ipse autem ingenium suum egregie significat hisce verbis (Hell. III., 4, 18): „ὅπου γὰρ ἄνδρες θεοὺς μὲν σέβοιντο, τὰ δὲ πολεμικὰ ἀσκοῖεν πειθαρχεῖν, δὲ μελετῷεν, πῶς οὐκ εἰκὸς, ἐνταῦθα πάντα μεστὰ ἐλπίδων ἀγαθῶν εἶναι;"

§. 2.

De rebus a Xenophonte enarratis earumque fontibus.

Inter Xenophontis scripta tria potissimum librorum genera discernuntur; sunt enim vel philosophici, vel historici, vel oratorii.[4]

---

1) cf. Delbrück: Xenophon zur Rettung seiner Ehre ꝛc. I., 1, 1 sqq. Bernhardy, Grundriß der griech. Literatur I., 35.

2) Cyrop. II., 2, 14; VIII., 7, 28.

3) Anab. V., 6, 15; VI., 2, 6; VII, 1, 29, 30.

4) cf. Weiske Xen. scripta I., XL. A. Wolfii graecarum litterarum historia p 464.

Sed cum in hoc libello secundi tantum ordinis ratio habenda sit, in expeditione Cyri et historia Graeca considerandis nos continere debemus, quod alia omnia Xenophontis scripta primae et tertiae classi adscribenda sunt.

Primum igitur in quaestione de scriptore Anabaseos mota judicio Plutarchi, hunc librum a Xenophonte profectum esse putantis, assentiendum esse censemus. Sed sive majoris fidei nanciscendae ratione, sive modestia ad dissimulandum nomen suum permotus est Xenophon: opus de expeditione Cyri minoris ab eo scriptum esse apud omnes scriptores veteres, quorum quidem testimonia nobis tradita sunt,[1] constat.[2] Qua de re qui dubitant, adversus eos Dindorfius non inepte disputare mihi videtur, cum, quod Xenophon lectores suos[3] ad „Anabasim Themistogenis" revocat, Aristophanis exemplo ita probat: „Aristophanes Eupolisque complurium fabularum suarum gloriam alienis auctoribus concessisse traditi sunt obscuris hominibus quibusdam, Callistrato, Philonide, Demostrato. Hos quo tandem fine aut quibus de causis id fecisse dicamus, quos sciamus, neque metum ullum unquam eo compulisse et adeo non latuisse Atheniensibus sub aliena persona absconditos vix ut illorum, quos finxissent, auctorum exigua ab uno et altero grammaticorum memoria conservata sit?"[4]

Post hanc brevem digressionem ut veniamus ad rem ipsam, Anabasi narratur expeditio Cyri minoris contra

---

1) cf. Diog. Laert. de vit. Xen cap. 57. Plutarchus de gloria Athen. ed. Reiske p. 361.

2) cf. Schneider ad Histor. Graec. IV., 1, 2.

3) Hell. III., 1, 2.

4) Anab. Lips. 1825 praef. p. 10.

Artaxerxem fratrem suscepta et reditus Graecorum illorum decem milium duce Xenophonte. Quae narratio in libris hodie vulgatis dispartita est in libros septem. Praefatione omissa exorditur Xenophon a morte Darei et initio regni Artaxerxis. Deinde proditur discordia fratrum, bellum eorum, adventus exercitus Graeci auxiliantis usque ad pugnam Cunaxeam. Quae cum omnia uno libro exponantur, sex libris qui sequuntur majore diligentia casus Graecorum enarrantur et, praetoribus a Tissapherne per insidias caesis, reditus eorum Xenophonte duce per Mediam, Armeniam, Colchidem ad pontum Euxinum.

Ea fere sunt, quae continentur Anabasi, quo libro Xenophon et ducis et rerum scriptoris diuturnam assecutus est gloriam [1]), praesertim cum nostra magni referat cognoscere antiquissimum artis militaris monumentum. Quam varie autem de historia illa judicatum sit, documento est, quod, ut nomen scriptoris in controversiam vocatum est, ita etiam in toto opere una tantum sententia vere historica cuidam prolata esse videtur,[2]) eo loco, quo Persarum regnum mole terrarum et multitudine hominum validum, sed debile esse affertur longinquitate viarum et propter milites dissipatos.[3])

Quibus deinde ex fontibus Xenophon hauserit, breviter dicere licet, etenim neque apud Xenophontem aut alium scriptorem ejus rei mentio fit, neque Xenophontem aliis atque sua experientia adjumentis usum esse suspicari

1) cf. Plut. vit. Artax. c. 8.
2) cf. Dr. Weil Zeitschr. für Alterth. Jahrg. 1842.
3) Anab. I., 5, 9.

debemus[1]) cum, toti huic expeditioni interfuisse se indicans,[2]) non modo omnia, quae gerebantur, videre potuerit, sed etiam primas in rebus gerendis partes egerit.[3])

Transeamus igitur ad considerandam historiam Graecam. Cujus libri, quod sit argumentum, si quaeramus et, quo ex fonte res in ea enarratae fluant: hoc prorsus exploratum esse videtur, historiam Thucydidis absolutam esse a Xenophonte, qui ab ea parte exorsus est, qua ille desierat.[4])

Nam postquam Thucydides libro extremo Alcibiadem de reditu cogitantem fecit, Xenophon in primo redisse eum et, quae subinde sunt consecuta, refert. Quod et ipso Hellenicorum initio quamvis lacunoso[5]) probatur — excipitur enim ab illo Thucydidis narratio — et aliorum scriptorum hac de re testimoniis.[6])

Thucydidis vero historiam absolvisse Xenophonti satis non erat; sed res supra terminum, quem ille sibi posuerat, multo persequitur. Xenophon enim narrat historiam quadraginta octo annorum a belli Peloponnesiaci anno vicesimo primo usque ad pugnae Mantineensis exitum.[7]) Diodorus: „Ὁ Ξενοφῶν, inquit, περιέλαβε χρόνον ἐτῶν τεσσαράκοντα καὶ ὀκτώ.“

1) cf. Koch der Zug der Zehntausend nach Xen. Anab. Einl. p. 3.

2) Anab. III., 1, 10.

3) Anab. III., 1, 26. V., 9, 30. VII, 1, 21.

4) cf. Buechs. ed. Hell. p. 2 et 3.

5) cf. Bueschs. in ed. Hell. p. 1—4.

6) cf. Diod. XIII., 42. XIV., 8, 4; Dion. Hal. in epistola ad Pomp. c. 4 ed. Krueger §. 43; Marcellinus de vit. Thuc. §. 45 ed. Popp.; Anonymus vit. Thuc.; Dodwell in Chronol. Xen initio Oxonii 1702.

7) cf. Dodwell editis Annalibus Thuc. et Xen. Oxonii 1702.

Tum de fontibus, quibus Xenophon hoc in opere usus est, apud ipsum nihil relatum invenimus, et, quod opinati sunt nonnulli, praesto ei fuisse ad primos libros copiam Thucydidis, id neque veterum aliquo testimonio satis innititur, neque in ullo codice antiquo scriptum exstat; nam quod narrat Diogenes Laertius (III., 57): „Xenophontem Thucydidis libros latentes, cum subducere potuisset, ipsum primum in lucem ac gloriam produxisse," non meretur fidem tam propter rei relatae insolentiam quam propter ejus compilatoris auctoritatem in aliis rebus tradendis suspectam. [1])

Postremo belli Peloponnesiaci et proxime insequente tempore Athenis versatus est Xenophon, deinde rebus in Asia intra annos 401—394 gestis ipse interfuit;[2]) tum in Graeciam cum Agesilao reversus expeditionum quoque regis Spartani nonnunquam particeps fuisse videtur. Omnia tamen, quae terra marique gerebantur, ipse videre non potuit, sed de multis rebus ab aliis certiorem fieri eum necesse fuit. Sed cum praecipue scriptores Lacedaemonios, vel Lacedaemoniis amicos auctores ei fuisse apertum sit, fieri non potuit, quin expositio Xenophontis non ab omni parte ponderantis Spartam se inflecteret.[3])

Alius scriptor, quem in auxilium vocare fortasse potuit, fuit Cratippus, Thucydidis aequalis, qui historiam ejus con-

---

1) cf. de omnibus hisce Buechsenschuetzius in ed. Hell p. 8.

2) Anab. III., 1, 4. Hell. III, 2, 7.

3) Anab. VII., 8, 23, VII., 1, 26.

tinuavit usque ad ea tempora, quibus Conon profligatas Atheniensium res aliqua ex parte erexit.[1])

Cujus auctoris opere utrum usus sit Xenophon, necne, parum liquet. Eodem modo in iis rebus, quas de Sicilia commemorat, incertum est, Philistumne adhibuerit, cujus historia in duas partes divisa perducta est usque ad mortem Dionysii majoris (Ol. CIII.)[2]) Stat igitur sententia, plurimum sibi ipsi debuisse Xenophontem.

§. 3.

De consilio et indole, quibus Xen. libri scripti videantur.

Cum Thucydidem quasi de sublimi specula eruditis oculis et sine opinione praesumpta res contemplari videamus, in Xenophontis libris ea modo traduntur, quae ipse vidit et expertus est in longinqua vita. Tantum autem abest, ut interiorem rerum connexum semper indagaverit, ut in omnibus libris suis honestatis tantum commendandae operam navaverit.[3])

Quibus verbis significari videtur, Xenophontem nihil minus, quam pragmaticum, quem dicunt, scriptorem agere,

---

1) cf. Krueger in Dion. Historiagr. p. 102, 261, 7.

2) cf. Heyne de font. hist Diod p. 84.

3) Mem. I., 2, 8, 48, 64. Anab. II., 6, 26. III., 1, 24, 37, 38. VII, 7, 41. Hell. V., 3, 7.

Recte igitur Creuzerus (hist. Kunst p. 296) de illo ita judicat: „Die handelnde Menschheit in einer gewissen Mannigfaltigkeit von Formen zu zeigen, und eine grosse Masse von Staatsbegebenheiten von dem höheren Standpunkte einer Idee darzustellen scheint der Beruf dieses Historikers gewesen zu sein.“ cf. Ulrici l. 1 p. 47.

vel eum, qui narrationem ita moderetur, ut lectores ad intelligendas rerum gestarum causas instituat, sed talem narratorem, ad cujus relata utiliter cognoscenda πραγματικῷ potius lectore aut interprete opus sit.[1]) Demonstrata enim per Thucydidem vi perniciosa, quam habuit bellum Peloponnesiacum ad totam Graeciam subvertendam, Xenophon incubuit in virtutes et vitia ducum, in mores denique singulorum hominum tradendos ita, ut rerum per bella administrandarum exempla et praecepta proponere voluisse videatur.[2])

Hoc igitur primum spectavit Xenophon, ut scriptis suis cives rerum optimarum scientia et virtutis amore imbueret. Audiamus ipsum in sua quidem causa testem, tamen fide dignissimum; etenim omnes librorem ejus paginae idem testantur Sic ille in libro non quidem historico (de Venat. 13, 4): „ἐγὼ, inquit, ἰδιώτης μέν εἰμι οἶδα δὲ ὅτι, κράτιστον μέν ἐστι παρὰ τῆς αὐτῆς φύσεως τὸ ἀγαθὸν δάκεσθαι δεύτερον δὲ παρὰ τῶν ἀληθῶς ἀγαθόν. τι ἐπισταμένων μᾶλλον, ἤ ὑπὸ τῶν ἐξαπατᾷν τέχνην ἐχόντων· Ἴσως οὖν τοῖς μὲν ὀνόμασιν οὐ σεσοφισμένως λέγω· οὐδὲ γὰρ ζητῶ τοῦτο· ὧν δὲ δέονται εἰς τὴν ἀρετὴν οἱ καλῶς πεπαιδευμένοι ὀρθῶς ἐγνωσμένα ζητῶ λέγειν. Ὀνόματα μὲν γὰρ οὐκ ἂν παιδεύσειαν, εἰ καλῶς ἔχοιεν . . . . . καίτοι γέγραπταί γε οὕτως, ἵνα ὀρθιῦς ἔχῃ καὶ μὴ σοφιστικῶς ποιῇ, ἀλλὰ σοφοὺς καὶ ἀγαθούς. Οὐ γὰρ δοκεῖν αὐτὰ βούλομαι μᾶλλον ἢ εἶναι χρήσιμα, ἵνα ἀνεξέλεκται ᾖ εἰς ἀεί."

1) cf. Weiske Xen. scripta I. p. XLVI. sqq.

2) cf. Creuzer p. 295. Peter comm. critica in Xen. Hell. I., 1, p. 85 sqq. Ulrici l. l. Hell. I., 1, 30 sqq. V., 1, 4 sqq.

Quare mirum non est, quod a morali illa per totam Xenophontis vitam spectata indole ne in historia quidem scribenda desciverit. (cf. §. 1).

Profitetur enim ipse (Hell. VII., 2, 1): „ἀλλὰ γὰρ τῶν μὲν μεγαλῶν πόλεων, εἴ τι καλὸν ἔπραξαν ἅπαντες οἱ συγγραφεῖς μέμνηνται ἐμοὶ δὲ δοκεῖ καὶ εἴ τις μικρὰ πόλις οὖσα πολλὰ καὶ καλὰ ἔργα διαπέπρακται ἔτι μᾶλλον ἄξιον εἶναι ἀποφαίνειν.“

Deinde ad singula opera historica si descendimus, in Anabasi quidem conscribenda Xenophontem id quoque consecutum esse suspicari licet, ut ea sit supplementum narrationis a Ctesia prius institutae. Id effici videtur loco I., 8, 26, ubi eos, qui in pugna ad Cunaxam cum Cyro sunt caesi, enumerat atque, quot ex comitatu regis perierint, Ctesiam narrare addit. [1]) Imprimis autem rerum narrationem ita absolvit, ut historiae in Hellenicis tractatae apte inseri possit; simul monumentum militaris scientiae ac peritiae relinquere et posteritati rationem reddere studet, qua severitate dux summam virtutem, institutionem praeceptoris secutus, appetierit. [2]) Sed primo aspectu cum differant Hellenica a Thucydidis diligentia ac subtilitate et ab Anabasi quoque superentur, facile quis inclinet ad sententiam a Buechsenschuetzio et aliis prolatam[3]), opus illud nihil esse nisi materiae copiam haud contemnendam, cui rerum scriptor

1) cf. Dr. Weil Zeitschr. ꝛc. p. 148.

2) cf. Creuzer hist. K. p. 298. Anab. III., 1, 13.

3) cf. Dr. Engel Xen. polit. Stellung und Wirksamkeit Progr. Stargard 1853. Philologus Zeitschr. f. Alterth. Jhrg. 14 pag. 148.

non admoverit ultimam manum.[1]) Accedit quoque, quod Diodorus testatur (XV. 76), Xenophontem summa senectute libros eos scripsisse, ita ut vel morte oppressus vel animo certe nimis segnis ad retractandas eas res videatur fuisse. Quorum contra sententiam acute disputat Creuzerus, nequaquam ea re cxistimationem operis mutari „nam, inquit, in adumbratione quoque operis historici incomposita rationem quandam, quae partum reddat vitalem penitusque penetret, ita ut in quaque parte eluceat, perspicuam fieri necesse est.“ Quamobrem dissideo ab opinione Volkmarii,[2]) qui Xenophontem initio de historia universali, quae vocatur, cogitasse et, cum destitisset a coepto illa historiae jam scriptae inseruisse putat, ita ut postea historiam suam amplificare voluisse et in hoc consilio cxsequendo morte oppressus esse videatur. Sed Hellenica et studio elaboratam historiam esse existimem, non commentarios ab alio absolvendos et in historiae formam redigendos[3]); nam primum veteres, Xenophontem res a Thucydide relictas persecutum esse prodentes, nihil de nostra quaestione tradunt, sed Theopompum tantum cum illo, ut qui similes sint historiarum scriptores, componunt. Deinde difficillimam rem Xenophon in historia illa scribenda sibi proposuerat, quam, quominus exantlaret et secundum leges tractaret, ingenio suo parum pragmatico et occaecato Spartanorum amore erat impeditus. Quid mirum igitur, quod manca passim est narratio et justo brevius quaedam

1) cf. Wyttenbach in Εκλογαῖς ἱστορικαῖς.

2) De Xen. Hell. comment. historico-critica §. 9. Goettingae 1837.

3) cf. Weiske IV. p. XXI.

atque obscure traduntur[1])? Nam qui non insigniorem vim habeat mentis, eum judicat Weiskius (disput. de ingenio Xen.) remissa cogitatione facile labi et hoc etiam Xenophonti interdum accidisse. Studium praeterea occaecat vel optimum, id quod maxime in Xenophonte fieri debebat, cum ita esset natura comparatus, ut se totum ad aliorum voluntatem et ingenium applicaret.[2]) Tot autem vitia quamvis in opere insint, non desideramus; tamen multis locis sermonis Xenophontei suavitatem et summam illam omni ornatu instructam elegantiam scriptoro Anabaseos dignam.[3]). Ex proposito autem Xenophontis in historia Graeca conscribenda nihil aliud sequi poterat nisi, ut enarraret, qualem vim exercuissent bella Atheniensium Lacedaemoniorum, Thebanorum in totius Graeciae fortunam.[4]) Primo igitur et secundo libro Thucydidis opere continuato, reliquis quinque, quae deinde secuta sunt, narrantur. Multis propterea illo loco incisionem facere placuit, quamquam ejus rei neque ulla apud veteres facta est mentio, neque ullum vestigium restat in libris manu scriptis. Nam ex obscuro illo Marcellini dicto,[5]) quo etiam Niebuhrii[6]) sententia nititur, non efficitur, prorsus diversa fuisse duo opera, verum id tantum, duas generales Hellenicorum partes accipi ab eo scriptore,

1) Hell. I., 2, 1. V., 2, 37. VII., 4, 27.
2) cf. Volkmar. l. l. §. 2. Creuzer p. 292, 293. Anab. VIII., 1, 4 et VII., 2, 8.
3) Hell., I., 7; II., 1 etc.
4) cf. Creuzer p. 292.
5) cf. Vit. Thuc. p. XXIII.
6) cf. Hist. phil. Schr. Bonn 1828.

alteram, qua belli Peloponnesiaci finis narretur Thucydidisque opus absolvatur, alteram, qua historia Graeca κατ᾽ ἐξοχὴν dicta initium capiat.[1] — Praeterea priorem partem et posteriorem non eodem tempore scriptas esse Niebuhrius evincere studet; primum, quod in primis duobus libris Xenophon non prodat animum Atheniensibus infestum ac Λακωνισμῷ infectum, deinde, quia in libri secundi fine haec dicat: „ἔτι καὶ νῦν ὁμοῦ πολιτεύονται καὶ τοῖς ὅρκοις ἐμμένει ὁ δῆμος." Ita Xenophontem scribere non potuisse quadraginta quatuor annis post, cum jam pridem alia stirps successisset in locum eorum, qui et peccavissent et veniam dedissent.

Quod jam attinet ad primam Niebuhrii causam, neque in prioribus quoque libris amorem Atheniensium inveniri equidem contenderim,[2] neque in reliquis voluntatem ab iis alienam, praesertim cum in toto opere omnes res ita fluant, ut ex uno capite eas manare credas.[3]

Aeque alterum, quo nititur Niebuhrius, argumentum, „populi in jurejurando servando fidem, quadraginta annorum spatio interposito, non tantis laudibus fuisse extollendam, quod tunc odia jam diu evanuissent," nihil valere videtur; etenim irae et simultatis ita tenaces fuisse Graecos, ut oblivionis promissae facilius, quam injuriae acceptae obliviscerentur, omnes consentiunt: cujus rei etiam exemplum habemus apud Lysiam in Agorat. §. 42[4]); denique simile

1) cf. Volkmar. l. l. §. 5.

2) cf. Krueger: hist. phil. Stud. Prüfung der Nieb. Ansicht über Xen. Hell. 264.

3) cf. Weiske de ingen. Xen. p. L.

4) cf. Sieversii-comment. hist. de Xen. Hell. I., p. 4. Wachsmuth I., 2, 266.

quid exstat apud Thucydidem (VIII., 73 de Samiis) ubi iisdem fere atque apud Xenophontem verbis hoc legitur: „τοῖς δ' ἄλλοις οὐ μνησικακοῦντες δημοκρατούμενοι τὸ λοιπὸν ξυνεπολίτευον."

§. 4.
De fide et auctoritate Xenonphontis.

Polybius (I., 14): „Historia, inquit, si munus suum tueri vult, a prima lege, a vero accuratissime servando, discedere non debet." Hoc esse justum historiae lumen, nam: „ὥσπερ, inquit, ζώου, τῶν ὄψεων ἀφαιρεθεισῶν ἀχρειοῦται τὸ ὅλον· οὕτως ἐξ ἱστορίας ἀναιρεθείσης τῆς ἀληθείας τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς ἀνωφελὲς γίγνεται διήγημα." — Quod officium ut expleatur, praeter multas alias duae res praecipue necessariae esse mihi videntur, ut scriptor verum tradere et possit et velit. Et illud quidem Xenophonti praesto fuisse supra demonstravimus, de altera autem parte accuratius quaerendum videtur, praesertim cum nonnulli veritatis studium in Xenophonte desideraverint. — Lucianus igitur (de hist. conscribenda c. 39) Xenophontem appellat „δίκαιον συγγραφέα", historicum omnino bonum et justum, qui suum cuique tribuat, neque immeritam laudem propter gratiam impertiat, neque ob invidiam et odium debitam detrahat.[1]) Quid quod Xenophon ne tum quidem, cum per factionem quandam in exsilium actus esset, res gestas enarrans quidquam odii in adversarios inimicosque contulisse Solano videtur, qui eundem animum Thucydidi quoque

1) cf. Weiske I. p. LXXIII Cyrop. II., 2, 26. Anab. II., 6, 6 sqq.

tribuit?[1]) Sed hanc laudem omni ex parte justam esse et Xenophontem in historia conscribenda omnino vacuum fuisse ira ac studio a multis negatur, cum eum exsilio multatum non modo nativum Atheniensium ingenium exuisse, sed Agesilao Lacedaemoniisque, pertinacissimis illis libertatis Atheniensium hostibus, amicissimum fuisse ex libris ejus pateat. — Vehementius autem quam justius invehitur in Xenophontem Niebuhrius, qui scelesti in patriam animi documenta odii plena eum exhibere dicit et civem magis degenerem nullam unquam civitatem ejecisse censet.[2]) Sed priusquam examinemus, quatenus tales accusationes argumentis firmatae sent, antea nonnullos e Xenophontis libris locos consideremus, qui ad sententiam illam refutandam aliquid conferre possint:

Primum igitur Hell. I., 5, 16 sqq.[3]), ubi apta Xenophonti occasio erat data ad vituperandam variae ac mutabilis Atheniensium plebis potestatem, hoc tantum refert: Cum Alcibiades ad Phocaeam obsidendam a navibus discessisset, et Antiochi temeritate Athenienses, clade apud Notium accepta, quindecim naves amisissent, Alcibiadis culpae id domi tributum; abrogatum est ei imperium in ejusque locum successit Conon. — Diodorus vero eodem loco vitia rei publicae Atheniensium acerbius persequitur et minus indulget licentiae plebis[4]), quae, inani suspicione adducta, eundem virum imperio privavit, quem modo antea etiam ut deum venerata erat.

1) cf. Weiske l. l.
2) cf. Kl. hist. phil. Schr. p. 467.
3) cf. Plut. 35, 3. Diod. XIII. 73, 74.
4) cf. Cic. de rep. I., 28.

Ita enim Diodorus: „Exprobraverunt, inquit, illi, quod Antiocho imperium permisisset, ut ipsum liceret praedari et pecuniam ad coenas et amores sectanda conflaret.“ Tum immane illud facinus, in pace contra civitatem sociam patratum et cum indignatione totius Graeciae auditum — subdolam dico arcis Thebarum occupationem — non laudare videtur Xenophon, cum (V, 2, 28) Phoebidam propterea Leontiadis consilio obsequentem facit, quod „οὐ μέντοι λογιστικοῖς γε οὐδὲ φρόνιμος πάνυ“ fuerit; et quod Grotius putat[1]), Xenophontem hoc loco significare voluisse, quantam utilitatem praebuisset occupatio Cadmeae, equidem non intelligo. — Diodorus autem (XV., 20), qui Thebanos cum Phoebida proelio decertavisse tradit, cum a Xenophontis narratione discrepet, crimini[2]) ei dat, quod de certamine propterea fortasse nihil commemorasse videatur, ut ignaviae notam in eos conferat. Quae interpretatio quam sit contorta, nemo non intelligit; et jam idcirco Xenophontis expositio ad veritatem magis accedere videtur, quod etiam propter feminas, quas Lacedaemonii ut obsides et pignora obsequii in arce tenebant, Thebanos omni modo proelium devitare oportebat.[3])

Ad alium locum transeamus. (Hell. V, 4, 1): Hoc editiore quasi operis sui loco paulisper subsistit Xenophon atque uno in conspectu ante oculos ponit Spartanos ad rerum prosperarum fastigium ascendentes et rursus ab eo delabentes; ita autem divinae justitiae observatione tangitur

1) Griech. Gesch. p. 358 u. 142.
2) cf. Sievers p 166 u. 70.
3) cf. Grotius p. 356.

in hac Spartanorum fortuna conspicua, ut vix suum judicium ut aliis locis solet, suppresserit.[1])

Denique, Hell. V, 4, 10 et 11, ubi agitur de expugnatione Cadmeae, per Thebanos Pelopida duce facta, Xenophon narrat, Spartanorum praesidium, parvum respiciens numerum suorum, intento studio se non defendisse, sed se dedisse primo vel secundo obsessae arcis die. Sed secundum narrationem Diodori, quocum etiam Plutarchus [2]) congruere videtur, diutius se defenderunt Lacedaemonii, etenim oppugnationem multos dies noctesque continuatum esse et aggredientium magnum numerum et vulneratum et trucidatum esse tradit; tum demum, cum gravis inopia victus adfuisset neque auxilium Spartanorum exspectatum venisset, socios animo cecidisse et arcem dedidisse. Xenophontis vero studium in Lacedaemonios inclinans hoc loco narrationem adulteravisse verisimile non est, nam Diodori narratio plus honoris Lacedaemoniis tribuit. Neque Xenophon animum Atheniensibus infestum prodit, cum illos, qui Thebanis in oppugnanda Cadmea auxilio fuerunt, non rei publicae jussu, sed suo Marte agentes facit[3]); nam etiamsi non justum foedus ictum erat inter eas civitates Spartae invidentes,[4]) certe non adversante civitate Thebanis contra Lacedaemonios auxilium latum esse pro certo constituere

---

1) Anab. V, 1, 31, 32. cf. Peter comm. critic. in Xen. Hell. p. 82.
2) cf. Pelopidas c. 13.
3) Hell. V, 4, 9, 10, 12, 19.
4) cf. Plut. Pelop. 15.

possumus. Qua de re praeclare affert Grotius, (p. 380, 37)[1]) pacem, inter Lacedaemonios et Thebanos initam, Sphodria, quem reum fecerant, demum sublato, violatam esse[2]) atque Xenophontem valde pugnare cum amore suo Lacedaemoniorum et quia illos tam paucis copiis Thebis expulsos esse referat et quia Sphodriam Piraeum oppugnare tentasse (V., 4, 20). eumque Spartae hoc crimine liberatum esse narret. Deinde Graecorum, non Agesilai[3]) historiae scriptorem se esse profitetur Xenophon ipse his verbis (VII., 2, 1): „ἐμοὶ δὲ δοκεῖ καὶ εἴ τις μικρὰ πόλις οὖσα πολλὰ καὶ καλὰ ἔργα διαπέπρακται ἔτι μᾶλλον ἄξιον εἶναι ἀποφαίνειν.“

Quod non solum sibi proposuisse, sed etiam exsecutum esse Xenophontem per tota Hellenica conspicitur, nam Agesilaus omnibus locis tam alienus est a rerum et gerendarum et gestarum auctore atque capite, immo multa, quae minime ad eum pertinent, tanta cum cura narrantur, ut cogitatio illa scriptori subdita vix operi inferri, nedum ex eo possit enucleari.[4]) Contra de loco Hell. II., 2, 10, haec fere Kruegerus profert: „In proximis Athenarum casibus adversis narrandis minime movetur scriptor. Hoc loco quis, verba non ad poenam, sed ex insolentia, magis ex scriptoris, quam Atheniensium animo dicta esse non intelligat?“ et alio loco, ubi loquitur de Xenophontis studio erga Lacedae-

---

1) cf. Vater: Leben des Pelopidas p. 343. Sievers p. 182. Lachmann II., p. 401.

2) Hell. V, 2, 34. cf. Diod. XV, 29.

3) cf. Niebuhr l. l. p. 469.

4) cf. Krueger. hist. und phil. Schr. I. Prüfung der Niebuhr'schen Schrift über Xen. Hell.

monios ita disputat: „scriptor gaudet, quod prospere eveniunt res eorum, qui beneficia in ipsum contulerunt et dolore quodam, historico parum quidem conveniente, imaginem opum eorum labentium depingit.

Sed illam sententiam a Kruegero prolatam examinemus: et veteres et nostri uno omnes ore consentiunt, Athenas insolentia et superba in socios crudelitate cecidisse; et Xenophonti gratia habenda est, quod in re tam gravi et toti Graeciae tam perniciosa sententiam suam non reticuerit, praesertim cum id fecerit integritate historico necessaria, nulla acerbitate admixta. — Illud autem erga Spartanos Agesilaumque studium, ne ab iis quidem, qui ad laudem Xenophontis semper prompti sunt[1]), ei abjudicatum, jam idcirco non tantopere vituperandum esse videtur, quod Xenophon, ut Spartanorum rebus faveret, Socratis institutione erat adductus[2]); neutiquam vero elucet invidia vel injuria adversus Athenienses. A quo peccato quantum abfuerit, id denique documento sit, quod Xenophon, qui apud alios patriae amorem tanti aestimabat, in primis virtutibus numerabat[3]), exsilio sublato, qui ipsi carissimi erant, filios suos, Athenas militatem misit[4]). Sed jam nostram de Xenophontis fide et auctoritate sententiam breviter complecti possumus hisce verbis, corruptionem veritatis ei crimini dari non posse, sed tamen caeco quodam studio erga omnia a Lacedae-

1) cf. Delbrück. Xen. zur Rettung seiner durch Niebuhr gefährdeten Ehre dargestellt.

2) Agesilai suasu filios suos Spartam educandos misit.

3) Anab. V, 6, 15, 33.

4) Si Diogeni Laert (II, 53) fidem habere licet.

moniis instituta impeditum esse, quominus de rebus recte judicaret et alteri parti debitam laudem tribueret [1])

§. 5.

De aliis scriptoribus, eadem tempora illustrantibus.

Sed ut plane dijudicare queamus, quanta fides Xenophontis libris irroganda sit, etiam alios auctores consideremus, qui eadem, atque ille tradiderunt. Valde igitur dolendum est, quod tot historici funesto fato interierunt, paucis tantum et mancis operum fragmentis nobis relictis, praesertim cum tot et Xenophontis aequales et post eum fuerint, qui eidem aetati lucem affuderunt. — Ex omnibus autem iis veterum scriptis, quae usque ad Alexandri Magni aetatem pertinent, Ctesiae Cnidii opera maxime dolendum est, quod interierunt. Is enim, Xenophontis aequalis, aderat pugnae ad Cunaxam factam in Artaxerxis parte et vixit exinde per septendecim annos Susis medici regalis munere fungens. Partim percontatus autem ipse res, partim adhibitis Persarum tabulis publicis et annalibus, materiam collegit librorum suorum virginti trium „Περσικά“ insciptorum. Quorum fragmenta quaedam e Plutarcho cognita habemus ex primis sex libris historiarum ejus Assyriacarum desumpta, atque e reliquis septendecim epitome nobis conservata est in „bibliotheca“ Photii. At sunt apud Photium fragmenta Ctesiae, quem fabulosa ille tradidisse ait historiae repugnantia. Sed Ctesiae ipsius fides jam veteribus fuit suspecta et

1) cf. Creuzer p. 292. Weiske I, p. XXVII.

Plutarchus illum ideo veri non studiosum fuisse putat, quia Lacedaemoniorum partibus, contemptis Thebanis, favere ei videtur. Ceterum nesque Ctesias, neque Diodorus, neque Plutarchus, undecunque illi hauserunt, multum a Xenophontis Anabasi dissentiunt, si nonnullos locos in Plutarchi vita Artaxerxis exceperis. — Sophaeneti autem „ἀνάβασις Κύρου", quae a Stephano Byzantio commemoratur [1]) ad nostrum tempus non pervenit, ut comparando illo opere cum Xenophontis narratione verum possimus explorare [2]).

Alii scriptores, quorum opera aetatem non tulerunt, fuerunt Cratippus, quem paragrapho secunda narrationem suam inde exorsum esse memoravimus, ubi Thucydides substiterat; Theopompus, qui a Thucydidei operis fine usque ad pugnam Cnidiam res persecutus est, fide, deligentia, arte, oratione spectatissimus [3]); Callisthenes, Aristotelis discipulus, in cujus Hellenicis dubia cum fide narratae erant res a pace Antalcidae usque ad templum Delphicum a Philomelo captum gestae [4]); Anaximenes Lampsacenus, historiam Graecam a primordiis ad pugnam Mantineensem enarrans [5]); Ephorus Cumaeus, qui res et Graecorum et barbarorum inde ab Heraclidarum reditu usque ad pugnam Chaeroneensem uno volumine complexus est, propter linguam rhetoricam ac florentissimam, propter ordinem temporum rationi convenientem memoratu dignissimus et propter fidem in optimis rerum

1) cf. Vossius de hist. Graec. p. 414.
2) cf. Weiske l. l. III. p. XXII.
3) cf. Pflugh de Theod. vit. et script. Heine de fontibus Diod. p. 82.
4) cf. Diod. XIV. c. 117.
5) cf. Diod. XV., c. 89.

scriptoribus habitus [1]); Duris Samius, Ptolemaei Philadelphi aequalis, „homo in historia diligens“ [2]), cujus Hellenica Vossius [3]) (de hist. Gr. I, p. 97) falso cum ejusdem scriptoris Macedonicis confundit; praeterea scripsit „Σαμίων ὥρους“, e quibus Plutarchus (c. 28) hausit historiam belli Samii, Pericle duce gesti. —

Quorum omnium scriptorum opera interierunt quidem, sed tamen a Diodoro et Plutarcho in historiis suis scribendis adhibita sunt [4]). Ille autem in bibliotheca historica sua ita pendet ex auctoritate illorum, ut, aliis veluti Xenophonte et Theopompo adscitis potissimum Ephorum exscripsisse ei exprobratum sit, idque saepe sine judicio fecisse eum, ut compilatorem potius quam historicum dixeris [5]). In temporum quoque rationibus saepe lapsus est, quibus de causis ejus fides et auctoritas haud raro in dubium vocatur, et, ubi a Xenophonte dissentit, ibi plurimi arbitri locupletes hunc praeferunt, licet narratio Diodori in iis, quae omisit Xenophon, supplemento nonnunquam esse possit [6]). E Plutarcho huc pertinent vitae Alcibiadis, Sysandri, Agesilai, Pelopidae, in quibus eosdem, quos Diodorus, adhibuit fontes, in Lysandri et Agesilai vitis Xenophontem prae ceteris secutus [7]). Sed cum in vitis virorum, quos describit, maxime

1) Cic. Brut. c. 17 et 56.

2) Cic. epist. ad Atticum VI., 1.

3) cf. Wesseling ad Diod. I. p. 90.

4) cf. Heeren: de font. et auct. vit. parall. Plut p. 40. Göttingen 1840.

5) cf. Goeller: de situ et orig. Syracus p. 204. Wachsmuth Ant. Hell. I, 2, 224, 269.

6) cf. Sievers p. 8.

7) cf. Heeren p. 46.

spectet mores eorum et in rerum gestarum narratione eam rationem inierit, quam ipse exposuit in Alexandri Magni vita his verbis, „οὔτε γὰρ ἱστορίας γράφομεν, ἀλλὰ βίους“, historica fides ei non fuit summa lex, sed omnia versantur in moribus excellentium virorum describendis et in revocanda pristina virtute.

Jisdem fere fontibus similiter utitur Cornelius Nepos in vitis Alcibiadis, Lysandri, Thrasybuli, Cononis, Agesilai, Iphicratis, Chabriae, Timothei, Epaminondae, Pelopidae; sed non tali, quali ille, diligentia, fide, doctrina, ita ut magnam auctoritatem ei tribuere nequeamus [1]). Quae cum ita sint, narratio Xenophontis, ratione habita fidei historicae, libris Diodori et Plutarchi, quorum hoc loco praecipue mentio facienda est, non modo non inferior, sed etiam illis anteponenda esse videtur: primum quia Xenophon, qui ad Agesilaum praecipue inter Spartanos se applicaverat, res certissime explorare potuit, deinde quia Xenophontem Lacedaemoniorum amore res gestas narrando adulterasse (cf. §. 4) non suspicandum est, denique quia et Diodori et Plutarchi fides historica, ut supra diximus, multis rebus merito incerta est.

§. 6.

Quid veteres de Xenophonte existimaverint.

Sed non scriptis tantum Xenophontis ipsius auctoritas fidesque ejus patet; nemo omnino veterum, quod equidem sciam, quid dubitationis attulit de illius in narrando integritate, immo Lucianus Xenophontem appellat „δικαιὸν

1) cf. Dahlmann, Forschungen I, p. 18.

συγγραφέα" (cf. §. 4) et Plutarchus[1]) eum dicit „ἁπλῶς καὶ συντόμως, ἅτε δὴ μὴ παρόντα εἰπεῖν."

Et jam propter scribendi genus, communi consuetudine tam accomodatum, nullus scriptor vulgo magis in deliciis fuit, quam Xenophon, ita ut summi infimi eum quemadmodum nuper apud nos Gellertum lectitarent[2]). Cicero[3]) quidem laudat Xenophontis in narrando animi tranquillitatem cum Callisthenis ardore rhetorico comparatam, ita: „hic (Callisthenes) quidem rhetorico paene more, ille (Xenophon) autem superior leniore quodam sono est usus et qui illum impetum oratoris non habeat, vehemens fortasse minus, sed aliquanto tamen est ut mihi quidem videtur dulcior." Alio loco[4]) „melle dulciorem Xenophontis esse sermonem et ejus voce Musas quasi locutas esse" judicat; et in epistola quadam ad Paetum data, Κύρου παιδείαν legendo se contrivisse fatetur. Quibuscum conferas velim laudes Xenophonti tributas a Cicerone in Cat. Maj. cap. XVII. — Quintilianus autem, acutus ille Graecorum et Romanorum existimator, quanti Xenophontem aestimaverit, ex eo apparet, „quod ei ipsas Gratias sermonem finxisse videri" dicit[5]), et quod illud de Pericle praedicatum in Xenophontem transferre non dubitat, „in labris sedisse quandam persuadendi deam." Dionysius Halicarnassensis „in epistola ad Pompejum" Xenophontem nominat „καθαρὸν δὲ καὶ εὐκρινέα"; et Appu-

1) Vit. Artax. c. 9.
2) cf. Weiske I, p. LXVIII
3) De Orat II, 4.
4) Orat. 9, 19.
5) Instit. Orat. X, 1, 82.

lejus in „Floridis": „canit, inquit, Empedocles carmina, Plato dialogos, Socrates hymnos, Epicharmus modos. Xenophon historias."

Quam propter sermonis suavitatem „Musa Attica"[1]) a veteribus vel „apis Attica"[2]) Xenophon nominabatur. — Quibus imaginibus nihil nisi incredibilis et singularis in dicendo vis videtur significari, qua scriptor mira cum suavitate lectores allicit atque tenet.[3])

Quanti aestimata quamque accepta semper fuerint Xenophontis scripta denique inde quoque perspicitur, quod non solum in ordinem auctorum Graecorum, „κατάλογον", redactus est Xenophon, sed etiam ad unum omnes ejus libri ad nos pervenerunt; quod vix fieri potuisset, nisi ea opera a multis lectitata essent; multa igitur semper exstitisse eorum exemplaria necesse est.[4])

---

1) Diog. Laert. II, 57.
2) Collectan. Suidae.
3) cf. Creuzer p. 314.
4) cf. Weiske I, LXVIII.

Corrigenda

p. 3 lin. 14 pro liberalite lege liberalitate.
„ 7 „ 22 pro των lege τῶν.
„ 18 „ 10 pro sriptoro lege scriptore.

